



Groninga dominium

<https://hdl.handle.net/1874/348543>



GRONINGA
DOMINIVM.
 Auctore
 Bartholdo Wicheringe.

Amstelodami,
 Excudebat Ioannes
 Ianssonius.

NOTARVM
EXPLICATIO.
 ☐ Pagi
 ☐ Monasteria
 ☐ Nobilium sedes

Anno 1277 Maris inundatione
 triginta tres pagi hoc
 in loco periere

Millaria Germanica communia.
 Millaria Gallica communia.



VIII B 04
 67200570

GRONINGA.

hūs 160, quorum non pauci eā magnitudine & cultu sunt, ut oppidula videri possint. Ex his *Vvarsumum, Bedumum, VVinsumum, VVhusa* in Hencelgonis: *Northorna, VVisteta* in Longovaldiis; *VVinscota* & quondam florentissima *Midvolda*. At nunc Dullarti furoribus pene desolata. In praefectura veteri, *Loppershemum, Berumum, Farnsumum* & quae nominata jam ante est cum portu suo *Delfziela* in Fivelingis. Et haec quidem multo impendio & labore decreto Ordinum Belgicorum nuper fossa & vallo circumductis, spatioque ampliato in oppidi penejusti modum redigi cepta, ad premedos atque in ordinem cogendos Groningenses. Distat hic locus ab urbe Embdana, quae in adversa Amasis ripa est ad passuum millia novem. Egregia porro aedificiis ac opulentia. Monachorum & sacrarum virginum caenobia in agro sunt numero 25; ante caetera vero *Adordia* in Medachius quinque pagis imperans, famosisque opibus inclita & superbo imprimis fano visenda; ab eo Vetus ad Dammonam & alterum in Marnensibus, deinde Warfumum, Rotrumum, Thesinga, Siloverdia, Grisomonachum, Wettowertum, Hilligerlea, Schiltwolda, postremo Iessum non procul pomerio urbis Groningae positum in praefectura suburbana. Nec ad haec, quod mireris, Regum aut Principum liberalitas quicquam contulit, sed rusticae plebis studia, paucorumque nobilium ista sane pro re ac agri modo majora congestere. Atque his omnibus si quis addat nobilitatis domicilia toto agro sparsa, inveniet nihil ad ejus pulchritudinem ac fortunam pene adjici posse.

Vici clari.

Ut ad Groningam revertar, haec illa est, quae Rudolphum Agricolam Orbi dedit, virum consummatae eruditionis & alterum Boetium, in quo linguarum Graecae, Latinae & Hebraicae excellens fuit peritia & dicendi summa facultas, Philosophiae exacta cognitio & Musi-

cae artis singularis usus, adeo ut Groningae in templo primario, quod B. Martino sacrum est, tibi spectentur in organo pneumatico facti ipsius manu. Sepultus est in aede Franciscanorum. Eadem Groninga & quidem eodem tempore habuit Wesselum, primum sui seculi Theologum & Philosophum, cui hoc elogium dedit consentiens doctorum vox, ut Lux Mundi vocaretur. Obiit anno 1479. Et adhuc nostro seculo tantus est Reipublicae in eruditionem, sapientiam affectus, ut nuper magnis impendiis Scholam aperuerit, omnium scientiarum atque artium, in qua juvenus caste atque sobrie educata ad Reipublicae & Ecclesiae gubernacula praeparatur. Magnum ei lumen attulit hoc nostrum avo Ubbo Emmius notus toto Orbe Historiarum Frisicarum voluminibus.

Quondam haec Regio tributaria fuit Hollandiae Comitum tanquam ejus tutelari Domino & Ultrajectino Episcopo sed factionibus in Frisia ortis in quas simul juraverat, distracta. Ne autem hoc malum longius ferperet, Maximilianus primus Romanorum Imperator rerum gubernacula Alberto (sub cuius Dominio haec provinciae Frieslandiae scilicet & Groninga) in perpetuum & quidem hereditarium feudum concessit, qui, exercitu ingenti conscripto, eo adegit eos, ut non solum omne jus, privilegium & jurisdictionem quam in *Ostergorv, VVestergorv & Sevenvolden* praetendebant, renuntiarent, verum etiam quotannis triginta Coronatorum millia pependerint. Quam pacationem reliquae civitates, inter quas praecipua Leuwardena, etiam subscribebant: at poenitentia paulo post stimulati iterum *secesserunt*, quos tamen armata manu subito represserunt. Nequentibus vero Groningans ne idem illis contingeret, per intercessionem Episcopi Ultrajectini res suas stabiliverunt.

Leuwardena.



GRONINGA.

Termini.



Populi.

GER Groninganus ab Occidente Lavica flumine; à Septentrione mari Germanico; ab Ortu Amasis aestuariis & Dullarro sinu, à Meridie Drentiae limitibus clauditur. Ejus populos in duas velut classes sed impares, fluviolus distinguit, qui collectis ad urbem Groningam per diversos ex Drentia & Fredevaldiis venientes rivos aquis palustribus, plurimisque emissariis auctus, & mire flexibus sinuosus, in Lavicae aestuarii satis profunda alveo se ejicit, Rivum vulgo vocant, ab arundinibus cognomine imposito. Populorum nomina, situs, ratio ita se habent. Ad Occidentem fluminis, *Langovaldii* Ostergois finitimi, complexi vicos sanis insignes 13, *Fredevoldii* silvestribus ac Drentiae propinqui, vicis toto comprehensi, tenui in solo utriusque. *Hummerzii* in latere aestuarii Lavicani ad effluxum fluminis jam dicti, eluviionibus ad 3 tantum vicos redacti, sed agri felices. *Medachii* ad ejusdem fluminis ripam introsum magis pertinentes, in vicos 9 in solo omnium uberissimo parsi. Ad Orientem amnis sunt *Hunefgonii*, latis simul & omni ex parte tum natura, tum hominum opere bene cultis finibus. *Fivelingii* Hunefgonios ad Ortum sequentes in Amasis ora, in duas divisi sunt partes, quarum prior 31, vicos complexa insignes, nulli superiorum felicitate cedit, tum ob terrae bonitatem, tum ob commoda fluminis vicini; altera vicis rarior, quos 9 tantum habet, palustris solo sitos, *Dursvaldia* proprio nomine vocatur. Ad Dullarti sinem *VVestervaldii* sunt, Reideriorum quondam pars inter sinum & Amasim incolentium, in quos imperium legitimum habuit aliquot seculis Ad dingia familia nobilis. nunc ad Arenbergios omnia translata. Postremo est suburbanum territorium regionis totius limitem ad Austrum longo tractu, contra Drentiam tuens, vicos ambitu suo continens 12, caenobia duo. Atque hujus in solo, ubi arenis gleba pinguior jungitur, sedem habet GRONINGA quam dixi, non maxima solum inter urbes, quas Frisia amplectitur, sed nomine etiam & potentia & rebus gestis & specie quoque ipsa antecellens. Forma reipublicae in urbe est Aristocratica, Democratiae mixta. Magistratus, quive alii partem aliquam reipublicae tractant, per suffragia lecti omnes, alii biennae, alii annum munus habent, pauci perpetuum. In his Senatus 16 virum, e quibus Consules quatuor, caeteri Senatores, toti reipublicae praesident. Quatuor viri iudices cum Legato regio, praetoriam potestatem habentes in omnem agrum vicinum, ex ordine fere consularium; concilium delectorum juratum 24 viris constans, & in his trium viri Concilio praefecti, ejusdemque oratores, omnes media sui parte Collegiis suis decedentes quotannis, totidemque aliis surrogatis locum dantes, quos sorte ducti è Concilio jurato viri quinque in senatorio ac suo ordine legunt: senatus vero in ordine iudicio & hos fere consularium tum abeunt. Deinde Aediles tribunitiae potestatis duo, velut plebis patroni, imprimis intercessionis jure pollentes, à Collegiorum plebejorum praefectis designati quotannis aut continuati; tum ipsi collegiorum praefecti, terni in collegiis singulis, à quibus ipsi similiter quoque quotannis eduntur, numero omnes 54, quorum 18 Seniores, qui auctoritate praesant, singuli nimirum singulis in collegiis, caeteri capita collegiorum vulgo sunt dicti. Praeterea octo viri duplices, hi mercantium & vendentium itemque naviculariorum controversiis cognoscendis praepositi quondam, ac in his Senior quem sic vocant, actor in collegio praecipuus; jurisque civium in mercando advocatus ac assertor.

Groninga.

Populus oppidanus moribus comis, blandus, solers, industrus, à literarum cultu & captu non abhorrens, neque abjectè de se sentiens, ideoque in veste ac victu sumptuosus, imperii cum primis avidus, ac ejusce gratia quilibet suscipiens & perferens; pertinacissimus vero in tuendo jure suo & libertate contra oppressores & cuncta potius, quam servitutem perperiens. Pauci nunc in populo Frisii, plures è convenis orti, multo plures vero aut Westphali aut Drentini; inde velut soboles perpetua civitati sufficitur. Olim tamen ita observatum, ut ad Consulatum aut ordinem Senatorium nulli facile, nisi antiquis, partim etiam a nobilibus familiaribus, quae complures ex agro in civitatem concesserant nati, aut alioqui insignibus commendati dotibus admitterentur. Quae ratio quam diu valuit, & pax cum vicinis, quos idem sanguis miscebat, immota, & prospera fortuna civitatis fuit. Ea projecta, cuncta reliqua etiam in contrarium iere. Urbis ipsa fossa valloque terreo maximae molis & propugnaculis munitissima, ac prope inexpugnabilis: vici ejus recti, lati, amœni & quidem ad fora quae duo sunt, magna ex parte pertinentes, e quibus sex etiam singulis à portis linea recta ducentur; aedificia splendida & suppellectile nitentia, fora spaciosissima, imprimis id quod latum vocant, curiam cum Oenopolio ambiens, sana in univèrsum duodecim, sed parochica tantum tria, quorum antiquissimam formae rotundae ac arcis in modum validis parietibus structam, Walburgi virginis sacrum cum puteo perennis & ad summi labri altitudinem perpetuo scaturientis aquae; alterum ab amne dictum, in extrema fori piscarii area situm; tertium Martinianum longe splendidissimum foro praecipuo accubans, cui turris imminet firmissimi operis, ac ob altitudinem raram etiam nunc, quamvis fastigio excello mutilata vi ignis, late spectabilis. Ex caeteris quae monasticis familiis dicata sunt, duo quoque peregrina & splendida. Franciscanum in oppidi fere medio & Dominicanum Iacobaei ordinis; reliqua ejus generis, & quae ptochodochiis coherent, minora. Verum vix quicquam urbe tota jucundius, quam frequentium hortorum & frugiferarum arborum insignis amœnitas in ipsius urbis sinu, passim aedificiis interjecta, & se proferens, aspectu pariter & usu delectabilis. Annonae forum in urbe omnis generis copiosissimum quotidie, atque ex eo precii pene vilitas. Quod sane ex jure illo per federa olim acquisito & per longissima temporum spatia usurpato haecenus, non minima ex parte existit. Adjuvat etiam plurimum fluminum aut rivorum oportunitas, omni ab regione agri ad oppidi hujus moenia humana opera coeuntium, atque hinc in diversa supra infraque porrectorum. E quibus is, quem supra descripsimus (*Rei* vocant) onerariis etiam è majorum genere ferens naves, alter ab oppido contra aestivum fere ortum defluens, & ipse non lenunculis solum & scalms, sed aetuaris quoque mediocribus navigabilis; assiduisque remigantium aut velificantium com meatibus peritrepens spatio duorum miliarium Germanicorum ac dimidii confecto per Fivelingios in Amasum exiens à loco cui *Delfziela* nomen à canalibus, per quos exit, datum, quo loco portum efficit, toto eo latere commodissimum, ac pene unicum.

Porro ad hunc rivum alterum regionis oppidum est *Dammona* cognomen rivo tribuens ad duo passuum millia, ab Amasis ripa loco felice situm in Fivelingis, a rivo ipso divisum, amœnum & aedificiis praclaris, sed nullo mœnium honore, id quod Groningensium livori se debere queritur, quorum contentione factum sane, ut bis terve jam centum proximos intra annos excitatum in ambitu ejus vallum, in nihilum semper reciderit. Reliqua per agrum vici tenent singulis cum fanis, plus minus